



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

6 Excommunicatio, ut sit justa, quatuor concurrere debent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

numer. 5. vers. secunda conclusio.

Iusta ¶ excommunicatio ut sit, quatuor concurrere debent.

Primum, ut proferens habeat jurisdictionem excommunicandi, ut per Graff. supra allegatum.

Secundum, quod causa subsit vera, & rationalis, c. 1. de sent. excom. in 6.

Tertium, quod monitio competens precedat ad formam d. c. sacro. in 6.

Quartum, quod proferatur causa expressa & in scriptis d. c. 1. de sent. excom. eo. lib. 6.

7 Injustam ¶ sententiam excommunicationis proferens multipliciter punitur.

Primo, quia tenetur excommunicato actione injuriarum, cap. temerarium, & c. illud. junct. gloss. 11. q. 3.

Secundo, tanquam sacrilegus est puniendus, c. si quis, & c. non in perpetuum, 24. q. 3.

Tertio, carere debet communione hominum, & interdici ab ingressu ecclesie, quantum superiori videbitur expedire, c. de illicita, eadem q. 3. & Inno. in cap. sacro. n. 2. de sentent. excom.

Quarto, ob non servatam formam, c. 1. de sentent. excomm. in 6. Pœnam interdicti ab ingressu ecclesie per mensem incurrit ipso jure, & suspensionis à divinis, aded quod celebrando, irregularitatem incurrit, à qua non nisi à solo Papa potest dispensari, ut in d. cap. 1.

8 Sed ¶ ex sacri conc. Trid. dispositione à dicta irregularitate, si erit occulta, poterit dispensari ab Episcopis, qui per seipso, aut per Vicarios ad id specialiter deputatos in foro conscientie, in omnibus irregularitatibus ex deicto occulto provenientes, excepta ea, quæ oritur ex

homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentiosum, cum suis subditis dispensare possunt, cap. 6. de refor. sess. 24.

Quinto, si sententia excommunicationis injusta appareat, ad interesse excommunicationi est condemnandus, ut per Host. & Io. And. in d. cap. 1. Excusat tamen proferentem sententiam ab his pœnis causa probabilis, si laudabilis opinionis existat, ut in d. cap. sacro. §. cumque adversus, de sentent. excomm.

9 Minor ¶ excommunicatio quatuor modis infertur, à Deo, à seipso, à sacerdote, & à canone, gloss. in cap. si inimicus, 11. q. 3.

Et est censura ecclesiastica privans participatione passiva omnium sacramentorum, cap. si celebrat. de cler. excommunic. ministr. & celebrans in minori excommunicatione mortaliter peccat, Sylvestr. in ver. excommunicatio. 4. & Cajet. in verb. excommunicatio minor. Divina officia, Missamque audire, & cum aliis ejusdem interesse, ac choro recitare, & pacem, quæ in ea offertur, minori excommunicatione excommunicatus sumere potest, Navar. in cap. 27, numer. 24. tom. 3.

10 ¶ Et minor excommunicatio per jus in octo casibus fertur de quibus per Innoc. in c. 1. de sentent. excommunicat. & Graff. d. c. 10. par. 1. lib. 4. ubi latè de excommunicatione minori per tot.

Quamvis ¶ enim excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticæ disciplinae, ac ad continendos in officio populos valde salutaris; sobriè tamen, magnaque circumspectione est exercendus: cum experientia doceat, si temerè, aut